DE VITA

DOMINICI COPPOLAE

ARCHIEPISCOPI MYRENSIS

S. CONSILII CHRISTIAN. NOM. PROPAGANDO A SECRETIS

COMMENTARIOLUM

AUCTORE CAROLO ANT. DE ROSA

VILLAEROSAE MARCHIONE.

NEAPOLI,

EX REGIA TYPOGRAPHIA.

MDCCCXXIV.

Vereor ne amore videar plura, quam fuerint in illo, dicere: quod non ita est; alia enim de illo maiora dici possunt.

Cic. in Brut.

PRINCIPI EMINENTISSIMO
IULIO M. DE SOMALIA
EPISCOPO OSTIENSI ET VELITERNO
PRAEFECTO SACRI CONSILII LEGITIMIS RITIBUS
COGNOSCENDIS
PRIMO XII VIRO S. C. PERDVELLIBUS ECCLESIAE
VINDICANDIS
DECANO S. COLLEGII CARD. TIT. SS. LAURENTII
ET DAMASI
S. R. E. VICE-CANCELLARIO
AC PRIMARIO SS. D. N. LEONIS XII ADMINISTRO

Obsequentissimus Auctor.

E plurimis beneficiis, quae in me contulit, dum vixit, Dominicus Coppola Myrensis Archiepiscopus, et Sacri Consilii propagando Christiano Nomini a secretis, haud postremum illud existimandum est, quod ad Tuam, Eminentissime Princeps, valde expetendam cognitionem aditum mihi patefecit, ac munivit. Nam cum ann. MDCCLXXXIX *Romam profectus essem, nihil antiquius*

doctus ille Antistes habuit, quam ut ad Te me deduceret, qui jam tunc et summo Religionis studio, et eximiae doctrinae laude, et singulari morum suavitate inter praecipua Romanae Urbis ornamenta recensebaris. Quo tempore cum luculentis benevolentiae argumentis a Te acceptus essem, equidem Tua captus humanitate, quotiescumque deinceps Romam veni (veni autem jam quinquies), facere non potui, quin Te salutandi caussa convenirem: illudque semper contigisse sum gavisus, ut me humanissime, ac liberalissime complectereris. Itaque cum meam in Te observantiam, meumque gratum animum declarare, atque omnibus testatum facere alia ratione nequirem, hoc Elogium Coppolae a me ad leniendum dolorem conscriptum, quem adhuc ex tanti Viri desiderio capio, Tibi inscribere, et dicare decrevi. Atque heic profecto, Princeps Eminentissime, egregias Tuas laudes, ac virtutes pluribus commemorare oporteret, ob quas et in Urbe, et extra Urbem ab omnibus celebraris, dignisque praeconiis decora-

ris ; quare amplissimis merito affectus es honoribus et a superiore Pontifice Pio VII, et a Leone XII nunc imperante , a quo inter alia ad gravissimum sui primarii Administri munus es paullo ante evectus. Verum ea omnia , ne Tuae modestiae fastidium creem , lubens silentio praetermitto : tantumque Deum O. M. oro , ut Te sospitare , et Christianae Reipublicae bono quam diutissime incolumem servare velit.

DE VITA

DOMINICI COPPOLAE.

Non dubito fore plerosque, qui mirentur me non necessitudine modo, sed intima quoque amicitia Dominico Coppolae Myrensi Archiepiscopo, et Sacrae Congregationis Christiano nomini propagando a secretis conjunctum, illius vitam enarrandam suscipere, simulque existiment me ejusdem res nimio plus extollere, atque ampliores facere velle. Sed quicumque Coppola familiariter, dum vixit, usi fuerunt, atque ipsius eximias suspexerunt virtutes, quibus tum privatus, tum magnos honores adeptus perpetuo eluxit, ii profecto sinceram omnino meam narrationem comperient, meque in hac re majorem veritatis, quam amicitiae rationem habuisse judicabunt. Quod si ingentem dolorem, quem ex tam cari, et necessarii hominis interitu cepi, hoc scriptionis genere renovari necesse est; eum tamen, egregia mortui facta commemorando, aliqua ex parte lenien-

dum fore confido. Itaque in laudando Coppola unam tantum veritatem, ut fidelem decet historicum, ducem sequar; nec vercbor ne mendacii, et falsi coarguere me quisquam possit.

Natus igitur Dominicus Coppola Neapoli VIII idus Iulii An. MDCCLII ex veteri nobili familia Urbis Ravelli, quae e gente Coppola Neapolitana originem ducit. Ejus parentes fuerunt Caesar Comes, Regiae summarum rationum Camerae Praeses, Regiaeque Monetae Praefectus, et Petronilla Iustiniana, nobilis matrona Genuensis; qui ambo ita insignem Christianae pietatis laudem cum summa morum suavitate copularunt, ut amorem omnium, existimationemque merito sibi conciliarent. Pater, qui non modo optimis erat moribus praeditus, sed etiam scientiis, ingenuisque artibus non mediocriter excultus (diligenter enim Vindobonae in avunculi sui Comitis Dominici Dalmarzae disciplina fuerat educatus), quemadmodum magnam curam, industriamque ad alios filios, ita majorem ad Dominicum in his tertium instituendum adhibuit; in quo scilicet ingenium cum acerrimum, ac perquam docile, tum quam maxime a puerilibus oblectamentis abhorrens cognoverat. Hinc sat puerum, a nutricibus avulsum, pio doctoque Sacerdoti erudiendum tradidit: quo doctore tantum in literis profecit ut, brevi temporis spatio majores natu fratres non aequaverit solum, sed longe quoque superaverit. Ac tantum abfuit,

ut hic discendi ardor se remitteret aliquando, ut magis magisque, raro illius aetatulae exemplo, in dies singulos cresceret: quare persaepe fiebat, ut cum in pueri conclave mane stata hora ad eum somno excitandum ingrederetur praeceptor, in lectulo aliquid legentem, aut scribentem offenderet. Felici vero pollens memoria, omnia, quae tradebantur, et celeriter accipiebat, et mente firme retinebat: quod quidem tum pueriles comoediae ab ipso praeceptore conscriptae, quas domi puer egit non sine omnium, qui aderant, admiratione, ac plausu, tum oratiunculae in Sodalitio, cui PP. Societatis Iesu praeerant, magna animi alacritate recitatae sat declararunt. Huic autem tantae ingenii docilitati accessit in illa tenera aetate ardens pietatis studium, quo cuncta Religionis officia, quae ab educatore praecipiebantur, adeo pie et sedulo obibat, ut aliis fratribus veluti exemplar imitandum proponeretur. Nec minorem adhuc puer in proximos caritatem praesetulit: nam illorum vitia, quoties de iis sermo incideret, quantum poterat, excusare nitebatur; et si quem pauperem in via obvium haberet, miseratione statim commotus, custodem rogabat, ut pecunia illi subveniret.

Iam vero ubi e pueritia excessit, et Grammaticae tum Latinae, tum Graecae praeceptis satis superque fuit imbutus, Rhetoricae operam navare coepit; cujus sane praeceptorem habuit Salvato-

rem Grimaldum, Alexii Mazochii, illius Europeae literaturae miraculi, alumnum praestantissimum, qui in Seminario Neapolitano, unde plures Graece, et Latine apprime docti prodierunt, enutritus fuerat. Eo doctore quantos in Latinis literis Coppola progressus fecerit, Romae praesertim ex iis, quae Latino sermone elegantissime scripsit, aperte cognitum est. Grimaldi quoque ductu Graecas literas addidicit, sine quibus in quovis doctrinae genere nemo se magnum aliquid consequi posse jure putaverit: eodemque tempore linearem picturam, et Musicen, ne qua culturae pars animo deesset, percipere haud neglexit. Post Rhetoricam ad philosophicas, et mathematicas disciplinas animum adjecit, clarissimis in iis usus doctoribus, Antonio nimirum de Martiis, et Nicolao Cavallo, Religiosae familiae scholarum piarum Sacerdote, et in Regio Neapolitano Gymnasio Matheseos Professore: quibus in studiis excolendis tantum ingenii acumen, tantamque diligentiam ostendit, ut ipsis esset Magistris admirationi. Deinde ad Iurisprudentiam gradum faciens, eam a Bernardo Navarro edoctus fuit, qui ob summam juris peritiam, morumque honestatem, cum plures annos inter primarios Neapolitani fori patronos habitus esset, post varios munerum gradus tandem Sanctioris Regii Consilii Vvir fuit renunciatus. Hanc vero scientiam tam avide arripuit, et in deliciis habuit, ut omnibus aliis disciplinis

anteferre videretur. Atque id maxime patefecit, cum domi quaedam Iuris veluti Academia fuit instituta; ubi ipse cum fratribus, aliisque Iurisprudentiae perstudiosis adolescentibus modo de legum Romanarum locis obscurioribus eruditas recitando disputationes, modo de ficta aliqua controversia disceptando, ac judicando exercebatur. Qua sane exercitatione ita vehementer captus est adolescentis animus, ut quamvis inter Clericos a pueritia adlectus esset, tamen considerandum sibi etiam atque etiam statuerit, utrum caussis in foro agendis totum se daret, ad quod exempla domestica incitabant, amplissimosque spondebant honores; an in suscepto vitae curriculo permaneret. At caeleste lumen, quod assiduis, enixisque precibus petierat, et a forensi laude consectanda deterruit, et in veteri Ecclesiasticae amplectendae militiae proposito confirmavit.

Eo igitur inito consilio, ad Theologiam omni animi contentione incumbere coepit: atque in hac disciplina Iosephum Rossi audivit, clarissimum Lycei Archiepiscopalis doctorem, qui primum Neapolitanae Cathedralis Ecclesiae Canonicus, deinde Archiepiscopus Nicosiensis, et Ferdinando Regi a sacris confessionibus fuit. Heic autem vix dici potest, quantum inter aequales Clericos ingenii praestantia, ac vitae integritate excelluerit. Erat enim in eo magnus mentis candor, ac simplicitas, singularis rerum fluxarum contemtus, ac

despicientia, atque animus ab omni fastu, et arrogantia alienus: hinc nemo unquam ipsum generis nobilitate, aut doctrinae ornamentis gloriantem audivit; quin potius, quasi omnium esset infimus, ac postremus, ita se perpetuo gessit. Quare factum est, ut ipsi Cleri moderatores, rigidique Ecclesiasticae disciplinae vindices nihil in eo reperire possent, quod reprehenderent. Postquam vero Sacerdotio fuit initiatus, magis virtutibus exsplendescens; Divinique honoris tuendi studio flagrans, Christi vineae excolendae, lucrandisque Deo animabus se totum mancipavit. Quod ut facilius praestaret, non uni Clericorum Sodalitio adscribi voluit; praesertim vero petiit, ut inter illorum Presbyterorum coetum cooptaretur, qui extremo supplicio damnatis ad salutem hortandis, adjuvandisque sunt addicti: idque muneris etiam Romanus Antistes factus, quotiescumque Neapolim se contulit, obire haud recusavit. Nec porro illud omittendum, quod paucis iis annis, quibus Presbyteratu jam auctus Neapoli commoratus est, plures orationes in Sanctorum laudem summo cum plausu, maximaque frequentia tum in Urbe principe, tum in aliis Regni oppidis habuit: quas inter Divi Ianuarii celeberrimi Martyris, et Beatae Franciscae Fremiot de Chantal laudationes praecipue memoratu sunt dignae; atque hanc postremam recitavit Gerardi de Angelis e Minimorum familia hortatu, Viri disertissimi, qui

Coppolae ad sacrae Eloquentiae vim, copiamque sibi comparandam non parum adjumento fuit.

Eodem tempore Neapoli erat apud Regem Sedis Apostolicae Orator Iosephus Vicentinus, Vir singularis prudentiae, maximique judicii. Is cum Caesari Coppolae esset familiarissimus, optimeque nosset Dominici filii non vulgarem doctrinam cum magna probitate conjunctam, enixius a Patre contendere coepit, ut Romam illum mitteret, atque inter Urbanos Antistites adnumerandum curaret: magno enim in honore ibi futurum, amplissimosque honores adepturum. Caesar autem licet initio valde huic consilio obsisteret cum ob alia, tum maxime quod optimum, et carissimum filium a se dimittere nollet; tamen postea tanti Viri auctoritate permotus, eidem morem gessit. Sed antequam res perficeretur, homo pientissimus plura commonefaciendum filium censuit: a Deo O. M. primo vehementer postularet, ut si novum consilium in Divinam gloriam cederet, viam ad id facilem, atque expeditam muniret, sin secus, omnino impediret; tum si Romam, Deo monstrante, proficisceretur, vitam Ecclesiastico viro dignam institueret, nihilque nisi sanctum, et honestum in omni actione praeseferret: honores minime peteret, sed Divinae Providentiae totum se tradens, ab ea quicquid ad animae salutem adsequendam magis conduceret, patienter exspectaret. Denique se in eam Urbem venturum,

in qua neque gratia, neque propinquorum opibus polleret: quare Deo tantum adjutore, et laudabili vivendi ratione fideret, si exsplendescere, et ornari cuperet.

His auditis Dominicus, nil in re tanti momenti temere sibi agendum ratus, post vehementes, iteratasque ad Deum conceptas preces, quo caelesti lumine impertiretur, aliquot quoque diebus in aedibus PP. Missionis piis exercitationibus vacavit. Sed tandem de Divina voluntate certior factus, anno MDCCLXXVIII. Romam profectus est, quarto post anno, quam ad Romanam Cathedram Pius VI nominis immortalitate dignissimus erat evectus. Sane Romana tunc temporis Aula non Italis modo hominibus, sed Transalpinis quoque plurimum abundabat, qui et generis nobilitate, et ingentibus divitiis, et majorum commendatione maxime fulgerent: quae quidem sapientissimus ille Pontifex licet non parvi faceret, ea tamen, si a virtute, et doctrina essent sejuncta, ad quemlibet honorem obtinendum minime satis esse existimabat. Pius itaque Dominicum, ut Romam pervenit, statim inter intimos Cubicularios, et paullo post Urbanos inter Antistites retulit; eique mandavit, ut relationes cognosceret, quas ad Petri Sedem ex Orbe Christiano Episcopi de suarum Ecclesiarum statu mitterent.

Porro, antequam Coppolae ulli ampliores deferrentur honores, aliquot praeterierunt anni; quo

profecto temporis spatio non modo desidiae, atque otio non se dedit, sed summa rursus vi, atque animi contentione sua studia, praecipue sacra repetiit. Praeterea virorum illustrium, ac doctorum, quorum magna tunc Romae copia erat, amicitiam, et consuetudinem sibi quaerere studuit. Hinc Academico Arcadum coetui, aliisque duobus, *Fortium*, et *Quirinorum* adscriptus, orationes, et carmina adeo venusta, atque egregia in iis recitavit, ut elegantis, et culti Scriptoris famam facile sibi pepererit. Adscitus pariter fuit in celeberrimum conventum, quem in aedibus suis Franciscus Antonius Marcuccius Patriarcha Constantinopolitanus, et Cardinalis Vicarii Pontificis adjutor, seu *Vices-gerens*, habere consueverat. Hujus autem Academiae illud munus erat, ut proposito aliquo obscuro, ac perdifficili Sacri Codicis loco, quintodecimo post die de eo unus delectus accurata, atque erudita disputatione ageret, simulque, quae a sociis objiciebantur, dilueret. Res sane erat, ut cum Horatio loquar, *periculosae plenum opus aleae*, quippe cum tot doctissimis viris, atque in disputando exercitatissimis unus respondere cogeretur. Attamen tantam ingenii vim, et acumen, tantam doctrinae copiam in hisce concertationibus Coppola semper ostendit, ut omnium in ore, ac sermone versaretur. Aderat et frequens in selectissimo Eruditorum coetu, qui apud Hermannum Dominicum

Christianopulum, Dominicanae familiae ornamentum, et in Collegio Germanico Hungarico sacrorum Canonum Professorem, semel hebdomada quaque convocabatur: ubi quidem de Iuris Canonici gravibus, implicatisque quaestionibus non jejune et exiliter, sed copiose et erudite disserebatur. Heic quoque valde spectata fuit Dominici doctrina, atque ingenium; qui hanc nactus opportunitatem egregiam de immunitatibus Ecclesiasticis aggressus est tractationem eo fortasse consilio, ut absolutam postea in lucem emitteret. Utebatur autem tam intime Coppola Christianopulo, ut cum hic valetudinis caussa Neapolim se contulisset, nonnullos dies apud illum, qui et huc ad visendos suos venerat, Stabiis moratus fuerit. Ad quem cum ego propter necessitudinem, et familiaritatem ventitarem, docti Dominicani amicitiam adeptus fui; eumque ad coenam cum Coppola vocans in meam villam, veteribus Pompejis proximam, ejusdem humanissimo, atque eruditissimo sermone mirifice fui delectatus. Atque hac usus occasione, in amicitiam quoque Io: Dominici Christianopuli, Hermanni fratris, per literas perveni; qui ejusdem Dominicani Instituti sectator, celebrem Peutingerianam Tabulam, doctis a se animadversionibus illustratam, nuper typis mandavit, ejusque exemplar quovis pretio dignum liberalissime mihi muneri misit. Nec porro heic silentio praetereundus est ille literatorum conses-

sus, quem quinta quaque feria, *Occultorum* nomine, in sua domo habebat Balthassar Odescalchus Caeritum Dux, vir eximia doctrina ornatus, et poëtica laude nobilis; ubi quoque primas egit Dominicus Coppola, atque adeo exquisita eruditione, acrique judicio literatissimum cepit Ducem, ut illi semper deinceps vixerit carissimus.

Dum is tam multis, tamque diversis literariis occupationibus distinebatur, interea Ecclesiasticis ministeriis fungi non omittebat: praesertim vero Sacra cum cantu, et solemni caeremoniarum apparatu peragere sanctioribus diebus anni festis solitus erat. Quibus rebus brevi factum est, ut tota Urbe celebraretur non modo illius eruditio, ingeniique praestantia, sed etiam magna vitae innocentia, ardensque Religionis, ac pietatis studium. Hinc a Pontifice in duodecim Iudicum Collegium est receptus, quod *Signaturae* vulgo appellatur: quo in munere triennio sic integre, casteque est versatus, ut nemo eum vel negligentiae, vel injustitiae insimulare ausus unquam fuerit. Deinde a secretis Sacrae Rituum Congregationis renunciatus fuit: ad quam sane pertinet sacros ritus, caeremoniasque Divinum cultum respicientes constituere, exortisque de iis quaestionibus respondere; tum Servorum Deĩ, qui Beatorum cultu sunt decorandi, perdifficiles caussas cognoscere. Quare qui est huius Consilii a secretis, praeter plurimarum rerum scientiam,

non mediocrem utique diligentiam, ac laborem in tam multis explicandis negotiis adhibeat, necesse est: cum ad eum spectet materiem omnem disponere, ordinatamque ad Patres Purpuratos referre; acta, ac decreta conficere; quin et de difficilioribus cum ipso Summo Pontifice communicare. In hoc igitur munere difficile dictu est, quantum eminuerit Dominici dexteritas, ingeniique magnitudo, quamque egregie omnium opinioni responderit. Sed praecipue quam germanae, puraeque Latinitatis gnarus, peritusque esset, tunc vel maxime apparuit. Nam si qua carmina, aut elogia Servorum Dei recens caelesti Curiae adscriptorum minus Latine scripta, et barbariem sonantia ad eum (quod non raro fiebat) afferebantur, ipse statim illa rejiciens, nova conficiendi molestam suscipiebat curam; atque haec ita ornate, eleganter, ac nitide, ut iis omnibus, quibus in pretio sunt Latinae literae, maxime se probarent. Cum autem tot, tantisque curis, ac laboribus premeretur, literarios tamen conventus, quos modo commemoravi, adire nunquam destitit: ibique aut carmina, et orationes perelegantes recitabat, aut de variis disciplinis subtiliter, atque erudite disserebat; quae quidem eo majori in laude sunt ponenda, quod in hujusmodi scriptionibus eas insumebat horas, quas alii ludo, aut quieti dabant; quodque librarii opera nunquam usus, omnia manu sua scribebat.

Sub idem tempus Pius VI, dum Urbis aeternae felicitati, et splendori consulens, pluribus elegantissimi operis aedificiis, veterum Romanorum magnificentiam aemulantibus, eam exornabat, dumque sumtuosis operibus, ac substructionibus cetera suae ditionis oppida instruebat, interim ingenuas artes, severasque disciplinas fovere, earumque cultores liberaliter complecti impensius studebat. Quamobrem Academiam Ecclesiasticam restituit, in quam scilicet nobiles reciperentur adolescentes, qui Urbanis Antistitibus adnumerari exoptarent, ibique sub optimorum magistrorum ductu sacris doctrinis imbuerentur. Hinc celeberrimum Franciscum Antonium Zaccariam, antehac Societatis Iesu presbyterum, Ecclesiasticae historiae praefecit: eique duos collegas dedit, Paullum Antonium Paulium Congregationis Matris Dei Sacerdotem, et Dominicum Coppolam; quorum illum Theologiae, hunc Iuris Pontificii, et Civilis studiis praeesse voluit. Sed et alio graviori testimonio idem Pontifex declaravit, quam bene de Coppola existimaret. Cum enim in Lyceo Firmano turbulentae dissensiones enatae essent, eo illum cum potestate misit, quo gliscenti malo occurreret: qui profecto intra paucos dies qua hortatibus, qua auctoritate eo rem deduxit, ut jurgia, contentionesque sedaverit, ac sapientissimis constitutis legibus Lyceum ordinarit. Prae-

terea in eorum aggregatus est numerum, qui Episcoporum designatorum doctrinam, ipso praesente Pontifice, experirentur, probarentque; quod sane perhonorificum munus paucis viris doctissimis, et Cardinalium primoribus injungi solet.

Interim seditiosi homines in Gallia, cum per omne nefas ruentes cuncta et civilia, et sacra perturbassent, maximo coacto exercitu, in Italiam repente irruperunt; occupatisque primo superioribus illius partibus, mox jurgii caussam inferentes, Romam usque populabundi sunt progressi. Tum Urbe capta, Pius Pontifex vi e sua sede fuit depulsus, et in Etruriam abductus; Cardinales, atque Urbani Antistites fugati, judiciaque Ecclesiastica intermissa. Quocirca verens Coppola, ne majora sibi ingruerent mala, si diutius Romae manere vellet, Neapolim se recipere, ac domesticis se abdere parietibus decrevit. Eodem tempore quum Summus Pontifex, ne quid detrimenti in Regno Neapolitano caperet, dum ipse Roma abesset, Sacra Canonum disciplina, utque facilius negotia Ecclesiastica expedirentur, Apostolicae suae potestatis Vicarios tres Episcopos constituisset, Iosephum nempe Cardinalem Capycium Zurlum Archiepiscopum Neapolitanum, Dominicum Pignatellium Casertanum Antistitem (qui postea Archiepiscopus fuit Panormitanus, et Cardinalis), et Bernardum de Turre Literensem Episcopum;

hi sibi a secretis Coppolam delegerunt, quippe quo neminem ad ejus muneris partes implendas aptiorem judicarent. At ille gravibus ductus rationibus hujusmodi honorem recusandum existimavit; qui deinde Francisco Rossi, Neapolitanae Ecclesiae Canonico, et Regio Sacrarum Scripturarum interpreti delatus fuit. Neque ita multo post Galli in Neapolitanum invadentes Regnum, cunctaque caedibus et flammis vastantes, eo potiti sunt; isque gravissimus casus cum omnes bonos maximo affecit moerore, tum in primis Coppolam, qui propterea Deum orare nunquam desiit, ut e tanta calamitate Romanam, Neapolitanamque ditionem eriperet. Atque hoc ipso temporis intervallo ad vetera studia magno animi impetu se referens, nonnullis operibus, quae jam inchoarat, extremam manum imposuit; quae tamen cum reliquis scriptis post ejus mortem minime sunt reperta, cum dubio procul ab aliquo impudenti homine surrepta fuerint, qui se alienis pennis, uti Aesopi cornicula, exornare cupiebat. Ad haec, hortante Cl. Viro Carolo Rosinio, Puteolano Episcopo, egregium volumen de locis Theologicis conscripsit, quod solum ex omnibus ejus lucubrationibus, veluti e naufragio tabula, adhuc superest. Cujus quidem libri praestantiam ex ejusdem Rosinii epistola ad Nicolaum Coppolam, Dominici fratrem, nunc Nolanum Praesu-

lem, quam nos descriptam infra exhibemus, facile quivis colligere poterit (*).

(*) *Carolus Maria Rosinius Episcopus Puteolanus Nicolao Coppolae S. P. D.*

Quaeris a me, amicorum optime, si quid norim de Archiepiscopi fratris tui του μακαριτου scriptis, in quibus elucubrandis nimiam fortasse operam ipsum navasse indolescis; quaeque adhuc Romae in suis forulis delitescunt. Novi equidem semper totum in eo fuisse, ut Catholicam religionem propugnaret, atque adeo, licet gravissimis negotiis foret distentus, subsecivas horas scriptitando, et lectitando quotidie insumsisse, et uni atque alteri ejus generis opusculo manum jam admovisse. Sed, cum utriusque nostrum vitae rationes nos invicem perpetuo distraxerint, nonnisi unum eorum opusculorum evolvere mihi licuit, Tractatum scilicet de Locis Theologicis, quem, etsi ultimam illi manum non imposuisset, amice tamen mihi tradidit, et in usum etiam alumnorum mei Seminarii compilare indulsit. Iam vero in hoc adornando a communi Theologorum methodo recedendum Vir prudentissimus duxit, ut omnigenis Catholicae fidei hostibus ora occluderet. Hi enim, ut noris, Catholicos Polemicos in vitioso circulo perpetuo versari oggerunt; quippe qui Ecclesiae auctoritatem petitis e S. Scriptura argumentis stabiliant, contra vero uno Ecclesiae judicio Canonicorum librorum αυθεντιαν tueantur. Quod equidem cum Calviniani primum objecerint, satis Catholici declinabant, contendentes Ecclesiae auctoritatem extrinsecis etiam credibilitatis argumentis satis esse tutam. Sed nunc, cum in ea incidimus tempora, quibus Christiana religio infestioribus hostibus impeti coepta est, qui nempe non ramos aliquot, sed radicem ipsam evellere conantur, quid istis jejune de Ecclesiae judicio, vel de Scripturarum divinitate narres? Hinc non solum, quod alii etiam Scriptores factitarunt, Theologicas institutiones a demonstranda Christianae religionis adversus incredulos veritate ordien-

Cum autem aliquot post mensibus Galli non ex Romano tantum, et Neapolitano agro, sed ex

---

das censuit, sed etiam ad convellendas quaslibet heterodoxorum sectas, ablegata vitiosa circuli specie, demonstrationis initium ab ea veritate sumendum, quae fidei fundamentum esse videatur, constituit.

Principio itaque fidei analysin diligentissime perficiendam adstruit. Ex triplici autem analysi, quae fieri potest vel in Ecclesiae auctoritatem, vel in Divinitatem Scripturarum, vel in Traditionis firmitatem, eam seligit, duce Augustino *lib. de Utilitate credendi*, rectissimam, et brevissimam, quae ab Ecclesiae auctoritate constituenda initium ducit.

Ejus igitur analysis sic procedit. Divina revelatio SS. Scripturis continetur; sed nec Scripturarum sensus cuique patere potest, nec omnibus ad eum fontem adcedere licet, nec earum canon ab omnibus aeque recipitur: ad aliquem igitur Judicem confugiendum est, qui et libri αὐθεντιαν tueatur, et veram ejus sententiam aperiat. Is autem Judex est Ecclesiae vox, quae secundum acceptas a traditione regulas lites dirimit. Si igitur vel uno rationis lumine ostendi queat Ecclèsiae judicantis auctoritas, res erit in tuto; quoniam et spurios ab hagiographis libris secernere, et eorum sententiam facile assequi cuique licebit; et de singulis fidei capitibus abunde constabit; et cujusque generis adversarii nullo negotio refellentur.

His positis in sex capita totam tribuit tractationem. In primo de naturalis rationis viribus, et usu in rebus Theologicis agit: in 2.° de Ecclesia: in 3.° de fontibus Ecclesiasticae doctrinae, scilicet de Scripturis, et Traditione: in 4.° de Ecclesiae judicio in Scripturas, et Traditionem: ibique de Conciliis, de Summo Pontifice, de Ecclesia dispersa, de Episcopis singulis disputat: in 5.° Traditionis fontes aperit, quibus universalis Ecclesiae fides continetur; hinc de Symbolis, de SS. Patribus, de Liturgiis, de Praxi Ecclesiae disserit: in 6.° denique de adminiculis ad Ecclesiae doctrinam illustrandam agit, qualia sunt Theologorum, Philosophorum, Historicorum testimonia. In his autem pertractandis, nec doctrinam,

tota Italia pulsi fuissent, et in Pii VI locum, qui in Gallia diem obierat supremum, suffectus esset Cardinalis Gregorius Barnabas Claromontius, Pii VII nomine, Vir fortitudine, et constantia cum priscis Ecclesiae luminibus comparandus; Dominicus Coppola, his auditis, confestim Romam advolavit. Eo vix pervenit, cum a novo Pontifice, qui illum optime noverat, a secretis factus est Sacrae Congregationis Christianae Religioni propagandae: quod utique munus perquam grave, atque operosum jure habetur, quippe cujus est omnia negotia, quae ad Christi fidem per vastissimas Asiae, Africae, atque Americae regiones prolatandam, tutandamque pertinent, quaeque omnium Ecclesiarum apud Infideles, et Heterodoxos ubique fundatarum salutem, incolumitatem, atque utilitates respiciunt, omnia, inquam, haec negotia digerere, ac disponere, atque ita digesta, et disposita ad Sanctius illud Consilium, etiam quandoque ad ipsum Pontificem referre; tum ad Christianorum in illis barbaris terris degentium postulata accurate respondere. In hoc autem novo munere gerendo summam diligentiam, ac prudentiam Coppolam praestitisse, vel

nec elegantiam, nec perspicuitatem desideres; in primis autem magnam argumentorum vim demiraberis. Pauca haec, dulcissime Nicolae, de fratris tui scriptis habui dicere, quae dum scriberem, bone Deus! quantum tam cari capitis desiderium, ac dolorem refricarunt! Tu autem vale, meque, ut facis, amare perge. Dabam Puteolis tertio Idus Julias. Anno MDCCCVIII.

illud est indicio, quod Hyacinthus Cardinalis Gerdilius ejus Congregationis Praefectus, Romanae Purpurae decus, atque ornamentum eximium, tanti illius operam duceret, ut in eo uno conquiesceret. Adscitus quoque fuit in extraordinariam Congregationem, quam Pius VII ex insignioribus Purpuratis Patribus, et doctioribus Theologis Romae instituit ad difficillima quaeque negotia cognoscenda, et dijudicanda, quae miserrima ea tempestate alicubi exoriri poterant.

Idem porro Pontifex, quum animadverteret nuperos falsi nominis philosophos eo omnes animi nervos intendisse, ut Sanctissimam Christi Religionem, si fieri posset, labefactarent, et funditus everterent, novam condere Academiam, *de Religione* nuncupatam, in Sapientiae Lyceo opportunum duxit; cui quidem id esset propositum, ut Christiana dogmata propugnaret, atque a Pseudophilosophorum impiis cavillationibus vindicaret. Ejus autem Academiae Coppolam, honorificentissimis ad ipsum datis literis, Praesidem creavit. Qui quidem sapientissimas illi regendae leges praescripsit, atque a Pontifice ut probarentur, curavit: tribusqne exactis annis, quot scilicet ei muneri praefiniti erant, in eodem duobus insequentibus trienniis, jubente Pontifice, perseveravit; atque eo temporis intervallo duas elegantes orationes, duasque eruditas diatribas in Academico conventu recitavit. Sed et a secretis

renunciatus est veteris alterius nobilissimae Academiae, quam *Theologicam* dictam instituit olim Summus Pontifex Clemens XI, optimisque legibus, a Thoma Ferrario Cardinali Dominicano conditis, communivit. Demum Archiepiscopus Myrensis est factus, et Vaticanae Basilicae Vicarius; cujus muneris partes, ut et alia officia, diligentissime exsecutus est. Nam et saepissime choro aderat, et solemnia Sacra Pontificali ritu celebrabat; et quae ad utilitatem, atque ornamentum illius insignis Basilicae faciebant, mira vigilantia providebat.

Iam licet is a natura firmum corporis habitum accepisset, et prospera semper valetudine usus fuisset; tot tamen curarum mole gravatus, tamque magnis laboribus exercitus, praesertim cum vix unquam animum relaxaret, aut se remitteret, paullatim corpore debilitari, et atteri coepit. Nam primo respirandi difficultate aliquandiu laboravit; dein in vehementem incidit orthopnoeam, quam statim tibiarum tumor est consecutus. Quare de medicorum Romanorum consilio, Centumcellas profectus est, urbem maritimam, ut illius caeli salubritate fruens pristinam valetudinem recuperaret; quo etiam Nicolaus, et Andreas fratres, Divi Philippi Nerii alumni, ut cum eo essent, contenderunt. Ibi cum uno mense amplius moratus esset, visus est e morbo non parum recreari. Verum cum exeunte Aprili anni MDCCCVII. Romam redire coactus esset, ut

magnificentissimum, ac sumtuosissimum Divi Petri Basilicae apparatum curaret, in qua nimirum Sanctorum honores quinque Beatis solemnibus ritibus, ac caeremoniis tribuendi forent; vis morbi non omnino restincta gravior ac periculosior evasit. Quare eum Neapolim commigrare medici jusserunt, fore haud diffidentes, ut valetudini patrii caeli ope commodius restitueretur. Porro Neapolitani medici suaserunt, ut in pagum, Teudocium nomine, bina milliaria Neapoli dissitum iret: sed cum eo loci haud ipsi melius esset, proximam ductus est Retinam, cujus aer tenuior, et siccior ad hydropem, qui in pectus irruperat, magis facere existimabatur.

At non modo nullum levamen, nedum sanitatem inde retulit, verum gravissima etiam febri tentatus fuit: qua vix tandem liberatus, ac Neapolim reversus, in PP. Augustinianorum Discalceatorum Coenobium, edito urbis situm loco, commeavit; ubi, mutato caelo, illum convalescere posse medici non desperabant. Sed jam in immensum hydrope excrescente, sub ejusdem anni exitum XVIII. Kal. Ianuar. annum agens LVI placidissime obiit, ei adsidentibus concordissimis fratribus, qui nunquam ex ejus latere discesserunt.

Fuit Dominico Coppolae justa corporis statura, magna oris dignitas, magna in oculis vis, lata frons, et exporrecta; incessus vero gravis, sed sine fastu, atque arrogantia, quae contemtui potius,

quam admirationi esse solet. Comis, et facilis in omnes aeque summos, atque infimos, neminem unquam dicto asperiori, vel superbo violavit: et si quando in doctorum virorum corona suam exponere sententiam cogebatur, id minime arroganter, sed modeste faciebat, ut etiam quorum opiniones refutaret, eos sua humanitate, ac lenitate benevolos sibi redderet. Nemini obtrectavit, nullius famam laesit; imo, si cujus existimationi ab aliis detraheretur, hunc defendere, et a criminationibus vindicare studebat. Constans, ac diligens in amicis colendis, quos virtute similes sibi devinxerat, nunquam se ad eorum applicuit amicitiam, quorum consuetudo suo nomini aliquam posset labem adspergere. In necessarios, ac familiares officiosus, nemini studio, opera, ac labore defuit: quod prae ceteris egomet sum expertus, qui illi, quoad Romae mansit, assiduis sane literis, ac mandatis molestior quodammodo fui: atque hospes non semel domi exceptus, liberaliter, et splendide ab eo sum tractatus. Pecuniae minime appetens, tanta usus est in quotidiano cultu moderatione, ut neque parcius, quam dignitas sua postularet, neque affluentius vixerit. Liberalis in egenos, quicquid dextera largiebatur, sinistram manum celavit. Quoscumque potuit, consilio, gratia, auctoritate, pecunia, omni denique officiorum genere juvit: eos etiam, qui, quod rogabant, impetrare nequibant, mira humanitate, ac suavitate

amicos sibi reddere studuit. Religione autem in Deum insignis, omnia illius virtutis officia adeo non ficte, ac simulate, sed ex animo tota vita persolvit, ut cunctis verae pietatis exemplo esset, atque incitamento. Hinc, ex quo Sacerdotio fuit inauguratus, usque ad vitae exitum, gravissimis licet districtus curis, rem divinam quotidie facere haud intermisit. Quin et paucis ante obitum diebus, cum viribus defectus e lecto surgere jam non posset, ut Eucharistico saltem reficeretur pane, curavit; horasque canonicas Vaticanis Sacerdotibus assignatas, etsi acerbis cruciatus doloribus, solus tamen recitare sategit. Theatralibus porro fabulis, aliisque spectaculis nullo tempore interfuit, dicere quidem solitus, se nullam ex vanis hisce ludicris voluptatem, nullum oblectamentum capere posse. Demum tanta patientia, ac fortitudine fuit, ut res adversae nullae ejus animum perturbare, casus nulli, temporumque varietates de statu suo dejicere potuerint: cumque extremo morbo laboraret, mortemque jam instantem cerneret, quae summas Ecclesiae dignitates adipiscendi facultatem omnem sibi eripiebat, vultu tamen laeto, hilari, atque imperturbato propinquos, ac familiares, quos sua caussa tristiores videbat, solari et confirmare conabatur; cujus rei ego quoque testis fui, qui eo tempore illum saepe invisebam.

Elatus est magna pompa, comitante Sacerdo-

tum S. Michaelis Sodalitio ; conditusque in S. Augustini aede juxta Regiam monetalem officinam, ubi Coppolae gentilitium habent sepulcrum. Epigraphe vero, quae ibidem in marmore incidi debebat, quamque in ima paginae ora descriptam damus, a Cl. Viro Francisco Danielio, Herculanensis Academiae a secretis, et Coppolae amicissimo fuit conscripta (*).

(*) Α ☧ Ω

DOMINICO COPPOLAE COMITIS CAESARIS F.
MIRAE INNOCENTIAE VIRO
OPTIMOQ. AD IMITANDVM VIRTVTIS EXEMPLO
QVI EA SCIENTIAE HVMANI DIVINIQ. IVRIS SPECIMINA EDIDIT
VT ROMAE VERNANTE ADHVC AETATE A PIO VI P. M. INTER
PRAEFECTOS IVRI DICVNDO IN SIGNATVRA IVSTITIAE FVERIT ADNVMERATVS DEIN CONGREGATIONIS SACRORVM RITVVM DELECTVS EST A SECRETIS A PIO AVTEM VII IN CONSILIO CHRISTIANO NOM. PROPAG. IDEM MVNERIS FVIT ADSECVTVS ET MYRENSIS ARCHIEP. RENVNCIATVS QVVMQ. AD CARDINALATVS DIGNITATEM CONTENTO CVRSV PROPERARE VIDEBATVR DIVTINO CONFECTVS MORBO NEAPOLI OBIIT AN. CIↃIↃCCCVII XVIII KAL. IAN. AETATIS SVAE ANNOR. LVI

COMES ANTONIVS
NICOLAVS ET ANDREAS
CONGREG. ORATORII NEAP. PRESBYTERI
FRATRI AMANTISSIMO CVM LACRYMIS PP.